

11. DISPUTATIO JURIDICA. 12
De eo quod justum est 1712, 1

IN
DISPARI REGIO-
NUM MENSURA, 4


Quam
Assistente Divinâ Gratiâ

514
IN ILLUSTRIS ACADEMIA
MARBURGENSE,
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO &
CONSULTISSIMO.

Dn. JOH. WILHELMO
Waldschmiedt

U. J. D. Professore Juris & Philos. Pract.
Ordinario,

Præceptore suo ætatem colendo,
PUBLICÆ DISQUISITIONI
Ad diem V. Martii Ann. MDCCXII.



IN JCTORUM AUDITORIO

Subjiciet
Responsurus AUCTOR.

JOH. GEORGIUS WERNERUS.
Marburgensis Hassus.

Marburgi Cattorum Typ. JOH. HENRICI STOCKII.



DISPUTATIO JURIDICA

De eo quod iustum est

IN
DISPARI REGIO
NUM MENSURA

APUD
IN ILLUSTRE ACADEMIA
HARBURGENSI

PRO NOBILISSIMO & REVERENDISSIMO
CONRADO

DOCTORI JOH. WILHELMO

PHILOSOPHO & PHIL. PRAE.

PHILOSOPHO

PHILOSOPHO

PHILOSOPHO

PHILOSOPHO





DISSERTATIONIS
De eo quod justum est
IN
DISPARI REGIONUM
MENSURA
Ingressus.



Quantum parilis & uniformis mensurarum æqualitas ad tuendam publicæ rei publicam quietem, commercia promovenda, fraudes averruncandas diffidia præcavenda momenti afferat, maximus & frequentissimus mensurarum in vitâ civili usus, tum & incommoda fere quotidiana ex illarum disparitate oriunda liquidò comprobant. Et quanquam ^{Uniformis mensura commoda.} universalis ejusmodi æqualitas in voto inani subsistat, ^{Quousq; illa dævilis sit.} quam in rem Athan. Kircherus *Mund. Subter. L. 2. c. 7.* sequentes rationes affert: *nihil difficilius*, inquit, *quam omnes omnium mensurarum differentias ad unam stabilem & incommutabilem mensuram redigere, cum fundamentum desit mensuræ, si enim status*

A pro

pro minimo mensuræ termino v. gr. granum sinapis aut tritici, memorata grana adeo differentis quantitatis sunt, ut pro diversorum climatum, horizontum, terrarumque conditione notabilem quantitatem acquirere comperias, si vero pedem aut pollicem humani corporis pro certo mensuræ fundamento assumeris tanto majorem inæqualitatis differentiam reperies &c: Unde etiam vulgatum illud, quod Jacob Aleman. palæstr. consult. pag. m. 920. refert.

So wir hätten einen Glauben
Gott und Gerechtigkeit vor Augen/
Ein gleich Gewicht auch Maas und Geld/
So stünd es wohl in dieser Welt.

Inter eos tamen quibus uno civili vinculo continentur, facilius introduci potest vid. Myler *de stat. Imp. cap. 46. §. 4.* Idquod in Imperio Germania jam olim Carolus M. testantibus Aventino *lib. 4. Ann. Boj.* & ipsis prælaudati Imperat. Capitularibus apud Stephan: Balluzium, *Capitul. Franc. tom. 1. pag. 283. 284. & passim* constituit. Et sanè ex instituto optima Reip. pulchrum foret uniformes mensuras in Imperio & singulis ejus regionibus vigere, unde deinceps quoque Carolus V. Imperator ejusmodi conformitatem introducere de novo allaboravit, *vid. Ref. Aug. de ann. 1530. tit.*

Ejus inæqualitas per Regiones Germaniæ.

Von Maas und Gewicht. Enimverò inæqualitas Regionum Germania longè maxima, æquale quid hæc in parte constitui, & sanctionem illam ad effectum perducere hæc passa fuit, quin potius mensurarum quantitatem ab ipsis Regionum Dominis ceu ad quos malorum vel commodorum sensus per subjecta sibi territoria citius pertingit, & quibus Legislatoria potestas vigore

gore Superioritatis Territorialis jam tum competit, definiendam esse dicitavit *vid. Reform. August. de ann. 1548. Tit. 15.* Abhinc infinita illa mensurarum diversitas non tantum in diversis fed & eodem non raro territorio subnata fuit, de qua ita *Limnaeus Jur. Publ. lib. 4. cap. 8. mensurarum in Imperio mira varietas & quandoque per unam provinciam multifaria, adeo magna incautorum deceptrix.*

Memor hujus mensurarum diversitatis & litium, <sup>selectus argu-
menti & par-
ticio.</sup> qua exinde non raro oriuntur, quando in earum concursu emtor v. gr. mensuram loci ubi res sita qua forte major, venditor loci contractus aliamve qua forte minor prætendit, Dissertatione Academica, quid in ejusmodi casibus de jure statuendum sit, exercitii loco inquirere mecum constitui. Cum vero monente *Plinio lib. 2. Hist. natur. cap. 1. nullius rei mensuram possit agere, qui sui nescit*, pro virium tenuitate instituti mensuram tribus Sectionibus adimplere studebo, in quarum I. De eo quod justum circa disparem mensuram ex voluntate disponentium, in II. quid illa deficiente de jure statuendum sit, in III. quid circa diversitatem valoris obtineat, appendicis loco, disquiram. Annuat proposito Deus propitius faveatque Lector!

SECTIO. I.

De eo quod ex voluntate disponentium circa disparem mensuram justum est.

§. I.

Quamquam aliàs sub generali mensuræ nomine illud ^{Quid mensura nomine hic intelligatur} omne veniat, quò mensuratum sub certâ quantitate

titate dignoscitur, indeque varias mensurarum divisiones prout varia sunt quantitatum genera Philosophi recenseant, quin & virtutis quandam mensuram, honorum & dignitatum gradus consituant, facile tamen ex iis quæ modo præfati sumus apparet, in lemmate dissertationi præscripto, illam tantum intelligi, quæ res earumque quantitates in contractibus & affinis negotiis nec non in ultimis voluntatibus determinantur, Nec adeo de illa mensurâ quæ ipsi rebus inest (seu de quâ explorandâ agitur) & interna vocari solet, nobis hic sermonem esse sed de extrinsecâ cujus comparatione definitur atque cognoscitur intrinsecâ, eaque tam aridarum & liquidarum rerum, quam geodaticâ. Sunt autem quatuor ferè loca quorum ratio in eâ quam diximus mensurarum diversitate haberi potest, scil. (1) ubi res petitur (2) ubi tradi debet (3) ubi contractus v. gr. est initus, & (4) ubi contrahentes domicilium habent. Cujus verò loci mensura emtione venditione ad mensuram contractâ, tum & ex reliquis contractibus nec non negotiis ab unius voluntate suspensis præstanda sit, nunc ordine disquiremus.

§. II.

In eius diversitate primo loco inspicendum quid actum sit.

Ut itaque propius ad rem ipsam accedamus ordinem interpretationi conventionum in *l. semper* 34. ff. de R. J. junct. l. 9. cod. præscriptum pressò pede sequemur; Constituantur inibi tres interpretationis gradus *Κλιμακίδες τῆς λύσεως τῆς ἀπορίας* quos inter primum locum merito obtinet, *ante omnia inspicendum esse, id quod actum.* Cum enim firmissima Juris Naturæ regula sit, ex dispositione legitima eatenus saltem jus nasci quatenus apparet, quod quis in alium transferre illud

illud voluerit, ad signa quibus voluntas declaratur verba nimirum & facta ante omnia respiciendum erit; Ut adeo illis non subscribamus qui in *d. l. 34.* hoc tantum indicari existimant, inspiciendum potius esse quod actum quam quod scriptum, licet enim id ipsum verissimum sit, ubi captiosa & cavillatoria interpretatione id quod scriptum urgetur *vid. l. 6. §. 1. ff. de contrah. emt.* eoque d. l. initium porrigi quoque possit, facile tamen ex ipsa lege apparet de ejusmodi specie ibidem proprie agi ubi per tres gradus illos conjectura duci potest, & in genere signa omnia quibus consensus in animo latens declaratur per *id quod actum* intelligi. Vid. Gothofr. in *Comment. ad d. l. 34.* Haec tamen dicta in tantum procedunt, ut iudex voluntatem contrahentium, etiam relucantem subinde communi aliam negotii naturam sequi teneatur *Mevius p. 2. Decis. 55.* Et idem omnino in quaestione utra ex dispari regionum mensura, v. gr. emptione venditione ad mensuram contractam praestanda sit, pro primam regulam ponendum *ante omnia attendendum quid inter contrahentes circa disparem mensuram actum sit.* Dico inter contrahentes, ejus enim quod ab una parte tantum cogitatum, nulla habenda est ratio, *l. 7. Cod. de condit. ob caus.* cum utraque pars aequale hic disponendi jus habeat, & dum una se dare, altera se accipere velle declarat, unus saltem voluntatem & quid iste mensura nomine intelligere soleat, inspicere non sufficiat. Hoc intuitu quaestione hanc non tam juris quam voluntatis & facti esse, recte vidit *Struvius Decis. Sabbath. cap. 8. Decis. 18.*

§. III.

*Idque tam ex-
presso.*

Quod si itaque certa & specifica loci mensura partium conventionem expressa, eaque uniformis sit, nihil dubium amplius supererit, sed voluntate disponentium sic satis declarata, prout inter eos dispositum ita jus erit, *cum in contrahentium voluntate sit, quibus mensuris uti velint*, ut ait l. 71. ff. de contrab. emt. quin & supervacaneum supplementum foret si contra verba interpretationem sequamur, ut loquitur Quintil.

Quam tacite

Declam. 317. Enimvero cum & id quod tacite inter contrahentes actum, consensum satis declaret, etsi verbis non sit expressum l. 78. pr. ff. de contr. emt. l. 94. de V. O. Ideo in dijudicatione cujus loci mensuram contrahentes intellexerint, deficiente partium conventionem expressam ad id quod tacite actum prius attendendum, quam eo quod in subsidium lege definitum est recurramus. Cum autem varia admodum sint argumenta ex quibus mensura contrahentium colligitur vid. Pufend. de J. N. Lib. 5. cap. 12. §. 1. & seqq. ibique Dn. Hertius in notis Sande in Comment. ad l. 9. ff. de R. J. nec adeo cuncta hoc loco enumerari possint, id tamen instituti ratio exigere videtur ut saltem aliquos speciales casus & exempla recensamus in quibus, cujus loci mensuram contrahentes intellexerint, ex circumstantiis &c. colligi potest.

§. IV.

*Quod decla-
ratur exem-
plis.*

Et primo quidem, id ipsum non raro ex actu aliquo antecedente aut subsequente apparet, antecedentia enim declarant sequentia & vicissim argum. l. 50. §. fin. de legat. 1. Ita v. gr. si emtor & venditor in mensuras hujus vel illius loci consenserint, quod ad mensurandam

randam & admetiendam rei venditæ quantitatem adhiberi debeant, dubium non est, quin eam mensuram intellexerint, quam mensores illi callent. Vid. Illustr. Dn. Coccejus. *Dissert. de fund. in territ. &c. tit. 10. §. 9.* Berlich *p. 3. Dec. 349. num. 10.* Non minus verba prooemii voluntatem disponentium sæpius declarant. *l. 134. §. 1. de V. O.* ibi *plerumque que præfationibus convenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur.* Klock *vol. 4. conf. adopt. 1. num. 372.* cum in dubio voluntas sibi consentiens fuisse & ubi quis uno in loco voluntatem suam clarè expressit, alio quoque loco ac tempore sibi constare credatur, nisi mutatio expressè appareat. Erretro sequela facti demonstrat, qualis fuerit præcedens conventio. Mantica *de tacit. & ambig. conv. lib. 1. tit. 1. num. 3.*

§. V.

Eadem ratione (2) si venditor, tempore venditionis celebratæ cum emtore cui eadem bona antea elocaverat, rationes subduxit & pariavit, ut loquitur *l. fin. ff. de condict. indeb.* uterque de eadem mensurâ in venditione cogitasse creditur, quâ jam antea fuerat usus; Finge, elocaverat Titius Hassus Sejo, prædium suum in Palatinatu situm cum omnibus ad id pertinentibus agris & vineis locario in singula jugera ad mensuram Palatinam constituto, Sejus cum locarium in Hassia solveret, bona illa à Titio ibidem emit pretio iterum in singula jugera sed indefinita constituto, quaritur cuius regionis mensuram contrahentes intellexerint, & dum Sejus Palatinam Titius Hassiacam mensuram prætendit quis justior induat arma? Resp. Sejus bonorum antea

antea conductor nunc emtor, quamvis enim alâs (ut in *Secl. seq.* demonstrabimus) de Jure verissimum sit, deficiente partium conventionione mensuram loci contractus sequendam esse, id ipsum tamen tunc demum procedit, si aliud ex quo mens contrahentium colligi, & λέξις τῆς ἀπορίας desumi possit, non suppetat, cum autem iidem contrahentes mensurâ Palatinâ in locatione modò usi fuerint, in venditione subsecutâ repentina ejus mutatio præsumi nequit arg. *l. 89. de condit. & demonstr.* Alexander Raudensis *Tract. de analog. in appendice p. 3. num. 53.* Idem (3) in genere dicendum, quoties ex consuetudine & more contrahentium de hujus vel illius regionis mensura actum fuisse colligi potest. *l. 114. ff. de R. J. l. 31. §. 20. ff. de edil. edicto.*

§. VI.

Alium & (4) casum suggerit Raudensis *d. l. num. 45.* ubi ex quantitate pretii cujus loci mensuram contrahentes intellexerint colligi potest; Quodsi enim v. gr. quantitas jugerum qualis in loco rei sita obtinet majorem proportionem habeat cum pretio in singula jugera constituto, de ejus loci mensura inter contrahentes actum videbitur. id quod egregiè confirmat *l. 1. ff. de reb. dub.* ex quâ alias hæc regula formari solet: quodsi in aliquâ alternativa dispositione dubium sit, quid per alterum membrum contrahentes intellexerint, declaratur hoc per æstimationem & considerationem alterius rei in alternativa posita, cum non sit vero simile alternativam inter res planè dissimiles positam fuisse, vid. Brunnem. in *Comment. ad d. l. 1. Dn. Coccejus d. l. §. 9.* Et quanquam nonnulli hanc voluntatis interpretationem ad eum casum restringant, ubi diversa men-

mensuræ ejusdem nominis in eadem regione usitata, nulla tamen hujus restrictionis solida ratio dari poterit. Id ipsum tamen non de quilibet, sed insigni inæqualitate demum intelligendum esse, non est ut moneamus, cæteroque enim lites ex litibus, sub quarum mole jam tum fatiscunt judicia, sererentur, & ut inter pretium & rem omnimoda æqualitas intercedat non est necesse, cum suæ rei pretium quilibet pro lubitu, si aliud non obstet statuere possit. Ut adeo regula in *Seç. sequenti* proposita hæc thesi non subvertatur, vid tamen *d. Seç. §. ult.*

§. VII.

Quæ hæctenus de emtione venditione potissimum dicta sunt illa in terminis habilibus de aliis contractibus quoque intelligenda esse *d. l. 34. de R. J.* expressè loquitur. Eademque regula in ultimis voluntatibus & aliis negotiis ab unius dispositione suspensis, locum sibi vindicat, nisi quod hic ad verba & mentem solius testatoris sit attendendum, cum enim de ipsius voluntate hic unicè quaratur, non potest illa aliter, aut aliis indicibus declarari quam quibus ipse usus fuit, aut uti consuevit *l. 96. ff. de Reg. Jur. l. 50. §. fin. de leg. 1. ibi si nummi legati sint nec appareat quales legati sint ante omnia ipsius patrisfam. consuetudo exquirenda est. l. 75. de legat. 3. ibi nummis indistinctè legatis si neque ex contextu testamenti possit apparere &c. Vid. Afflictus Decis. 337. ubi plura de rebus sine specifica quantitate legatis definiendis. Add. *cap. 18. X. de censib. ibique Dd.**

Extendantur hæctenus dicta ad alias conventiones & ad ultimas voluntates.

*Quid porrò in dispari mensura de
Jure statuendum sit disquirens.*

§. I.

*Quaestio hac
Dd. dissi-
involuta.*

DEferimur jam ad alteram eamque potiore in-
stituta tractationis partem & quaestionem multi-
plici Juris interpretum dissensu involutam: utra ex dis-
pari regionum mensurâ deficiente partium conventi-
one tam expressâ quam tacitâ de Jure praestanda sit? In
cujus resolutione ita versabimur, ut primo loco varias
Dd. sentent. recenseamus, abhiñc cui nos subscribamus
profiteamur, eamque LL. & rationibus firmatam à dis-
sentientium impetitionibus defendamus, exceptiones
subjungamus & denique vestigia retrò legentes ea quae
de emtione venditione potissimum dicta ad alias con-
ventiones tum & negotia ab unius dispositione suspen-
sa applicemus. Casus talis esto: vendidit aliquis 20.
Jugera agrorum alibi quam in loco contractus sitorum,
controversia oritur inter emtorem & venditorem de
quantitate mensuræ, cum alia frequentetur mensura
in loco contractus alia ubi res sita &c. utra attendenda?

§. II.

*Recensentur
varia opinio-
nes*

Et primo quidem loco, illi, si quid iudico, oppidò
falluntur, qui vulgatam justae interpretationis regulam
quæ subinde pro negotiis dubiis ritè explicandis adhi-
betur, ut quoties in illis de expressâ aut verosimili con-
trahentium voluntate non apparet, interpretationem
faciamus contra eum cui liberum erat re integrâ loqui
apertius, vid. Struvius *Syntagm. J. C. Exerc. VI. th. 52.*
qui, inquam, hanc regulam & hic primo loco obser-
van-

vandam & contra eum pronunciandum existimant, qui certam ac specificam mensuram exprimere potuisset ac debuisset. Vid. Afflict. *Decis.* 363. *num.* 5. *cum alleg: ubi hanc sententiam late defendit.* His enim velledō subscribi nequit quod hæc regula tantummodō subsidiaria sit, & non nisi terminis habilibus præsuppositis procedat, ut infra §. *fin. hujus sect.* demonstrabitur, quin & hac ratione gradus interpretationi conventionum in sapius citatā *l. 34. de R. J.* præscriptus per saltum omittatur. Eodem ferè recidit, quod ait, Alex. Raudensis *d. l. num.* 68. interpretationem hoc in casu contra actorem faciendam esse, quam in rem ad *l. 47. ff. de O & A. l. 125. ff. de R. J. l. 6. ff. de vi et.* provocat. Verum & hæc sententia per rationes modo allegatas corrui.

§. III.

Majorem speciem ostentat illa sententia quæ mensuram rei fixæ hic attendendam esse vult, ceu quæ celeberrimorum autoritate munita est, multisque legibus & rationibus in speciem defendi potest. Amplectuntur illam præter Lauterbachium *cum alleg. Tract. Synopt. de contrah. emt. §. 1. num.* 12. & in *Colleg. Theor. Pract. sub. d. tit. §. 43.* Struvius in *decis.* 18. Müller ad *Struv. Synt. J. civ. Ex. 23. th.* 100. Molinaus ad *consuet. Paris. tit. 1. §. 33. gloss. 1. num.* 86. Quibus & illi accensendi sunt, qui inter res mobiles & immobiles distinguunt, in illis mensuram loci contractus, in his verò rei fixæ respiciendam esse existimantes vid. Beier *posit. ad ff. tit. de emt. vend. §. 47.*

§. IV.

Enimverò his omnibus parum obstantibus in con-
Tera sententia
proponitur.

curſu diſparium menſurarum, illam demum ſententi-
am de Jure veriſſimam eſſe exiſtimamus, qua defici-
ente partium conventionem, *menſuram loci contractus*
unice reſpiciendam & attendendam eſſe pro regula
ponit. Quam in rem ſi authoritatibus pugnandum foret,
non minorem celeberrimi nominis Jctorum nume-
rum in partes vocare poſſemus. Vid. Donellus *lib. 15.*
cap. 1. ibique Hilliger in notiis Hartm. Piſtor obſerv.
36. Carpzov. p. 2. C. 23. def. 11. Berlich. p. 3. Dec. 149.
Dn. Coccejus d. l. §. 9. B. Dn. Hertius Diff. de Coll.
LL. ſect. ſin. Sande in Comment. ad l. 9. de R. J. & ipſe
antea diſſentiens Lauterbach. Diſſert. de Jure in curiâ
mercat. th. 140. qui omnes uno ore menſuram loci
contractus præſtandam eſſe aſſerunt.

§. V.

*Confirmatur
LL. & ratio
nibus.*

Et quam rectè id ipſum aſſerunt, ex ſequentibus
& aliis Juris textibus luculenter apparet; Ità enim Ul-
pianus in ſapius citatâ *l. 34. de R. J. ſi non appareat*
quid actum conſequens eſt ut id æquamur, quod in re-
gione in quâ actum eſt frequentatur. ubi Gothofr. in
notis. Addantur l. 20. ff. de ædilit. edicto l. 37. ff. de
uſur. l. 1. eod. ibi. cum Judiciob. f. diſceptatur, arbi-
trio Judicis uſurarum modus ex more regionis ubi
contractum eſt conſtituitur. l. 6. ff. de evict. ibi ſi fun-
duſ venierit ex conſuetudine regionis in quâ negoti-
um geſtum eſt pro eviſtione carveri oportet l. 7. C. de
exact. tribut. junct. l. 4. §. 2. ff. de Public. & vectig.
& plures alii textus, de conventionum vel ultimarum
voluntatum interpretatione loquentes, quarum decem
& octo in unico ff. tit. de R. J. reperiuntur, quas omnes
uno capite collegit Harmenopolus *αρεπι άραφις ησθ αμφι-
βολιας,*

Senius, lib. 1. cap. 15. Ex quibus adeo satis virium huic sententiæ accedere existimamus.

§. VI.

Rationes porro si desideres, varia exque certissima in promptu sunt, cum enim ut nervosè disserit *Du. Coccejus d. l. §. 9.* favore commerciorum & contractuum cujusque loci statutis vel usu mensuræ & pondera definiri soleant, neque verò de rebus quæ pondere vel mensurâ æstimantur contrahi possit, nisi eorum modus ita determinatus sit, indeque ad formam contractus modus ille pertineat, sequitur in eo respici deberi ad statuta & mores loci contractus quibus etiam contrahentes se subjicere voluisse non potest non præsumi *Add. Mevius p. 1. Dec. 163. num. 6. Brunnem. in Comment. ad d. l. 6. & 31. de edil. edicto.* Et hanc sententiam in praxi quoque obtinere testantur *Hartman Pistor Observ. 36. Steph. Gratianus Discept. for. tom. 1. D. XI. num. 19. & seqq. Roland à Valle vol. 3. conf. 100. Hilliger d. l. Cacheran. Decis. 114.* ubi ait: pro hac sententia pronunciatum, nisi in casu proposito, singulari æquitatis ratione in contrarium moti fuissent ipsius Collegæ, ut adeo hic locus à dissentientibus frustra allegetur.

§. VII.

Pergendum nunc foret ad ulteriora, nisi prius dissentientium, illorum præcipuè, qui pro mensurâ loci bonorum s. rei sitæ pugnant, argumenta breviter examinandam essent, sic namque remotis iis quibus ceu spissis nebulis ac propemodum tenebris sententiam nostram obfuscari credunt, ejus veritas tantò magis elucescet. Quando itaque primo præfata sententiæ palladium

Ad argumenta dissent. respondetur.

dium & pallium nonnulli quarunt, in *l. 16. Cod. de pr. ed. min.* in qua alienatio prædii à minore, tutore quidem auctore, sed sine decreto Præfidis Provinciae in qua situm est facta, nulla pronuntiatur, quam inerti & frigi lo schemate id ipsum fiat, nemo non videt, ut enim non dicam à diversis ad separata malè concludi, id quod sub certa facti specie in *d. l. Cod. Judici rei sitæ*, idem in *l. 5. §. 12. ff. de rebus eorum* Judici illius loci in quo tutela agitur, tribuitur, & in *l. 15. §. 2. De re judic.* uterque conjungitur, ut quod à priori decretum, ab altero executioni mandetur. Vid. Huber. *ad tit. ff. de rebus eor. §. 9.* Quid porro *ad l. 22. ff. de R. C. l. f. ff. de condic. tritic.* quæ pariter opponi solent & de æstimatione loquuntur, respondendum sit, exiis quæ infra Sect. III. dicemus facile poterit colligi.

§. VIII.

Ultimum verò & tutissimum refugium sibi quarunt in *l. 21. ff. de O. & A.* ubi Juliauus ait. *contraxisset unusquisque intelligitur in eo loco, in quo ut solveret se obligavit.* Enimverò hanc ipsam legem in questione ubi quis forum sortiatur unicè locum invenire, rectè vidit Brunnem. in *Comment.* ut adeò secundum rubrum sub quò posita est accipienda sit, nempe de actione & conveniendi facultate, ità ut reus ibi forum sortiatur & lis coram Judice illius loci ubi solutio facienda agitari possit *cap. 17. X. de foro comp. l. 3. ff. de reb. auth. jud. possid. l. 19. §. f. de jud. add. Sande, in Comment. ad l. 9. de R. J. Dn. Hertius d. l.* Caterum quis propriè sit locus contractus, ad cuius mensuram respiciendum esse defendimus, non est ut huc repetamus cum singuli *Commentat. ad tit. ff. de Judiciis* id ipsum

ipsum larga manu exponant, vid. inprimis Huberus
d. l. hb. 53.

§. IX.

Ad viam unde digressi sumus redeuntes, declara- *Ampliat.*
tiones nonnullas sententia nostræ subiungemus. Pro-
cedit nimirum regula supra §. 4. proposita etiam si (1)
in loco rei sitæ major solemnitas requiratur, contractus
enim ut Gaius loquitur *lib. 2. obs. 123.* cum debita
solemnitate in uno loco initus, extendit se ad om-
nia bona ubicunque sita sint. Porro (2) adeo vera est
regula ut etiam si conditio sub quâ contractus initus
alibi fuerit impleta, nihilo tamen secius mensura que
in loco contractus frequentatur præstanda veniat.
Conditio enim semel purificata & existens, ad initium
actus gesti & tempus inite conventionis retrahitur
l. 11. §. 1. ff. qui pot. in pig. l. 20. ff. de condit. instit.
& sic perin de habetur ac si initio purè fuisset conven-
tum *d. l. 11. §. 1.*

§. X.

Idem (3) obtinet licet neuter contrahentium in
loco contractus domicilium habeat, rationes enim su-
pra §. 4. & 5. allegatæ ejusmodi speciem excipi mi-
nimè patiuntur, cum quilibet contrahens, subditus eti-
am temporarius Juri ac consuetudini regionis in qua
contrahit se conformasse credendus sit. Huc pertinet
casus à Mylero in Metrologia (quæ cateroquin argu-
mentum hujus Dissert. vix attingit) *cap. 6. §. 7.* rela-
tus, in quò tantopere repugnat Struvius *d. Decis. 18.*
Oenopola Ratisbonensis emit Heilbronne ab œnopola
sivitatibus Weinspergensis Ducatus Württembergici ali-
quot amphoras vini generosioris, certo in singulas
confi-

constituto pretio queritur cujus loci mensura praestanda sit? respondet Mylerus, & rectè quidem, vinum juxta mensuram loci contractus mensurandum esse; regerit Struvius (secutus Manticam *de tacit. & ambig. corr. lib. 3. tit. 13. num. 38.*) non aliam mentem & venditoris & emtoris hic colligi posse quam quod mensuram in Ducatu Würtembergico usitatam, vel unde vinum in vasibus ibi mensuratis **nach des Orts Eiche** advehendum est intellexerint, Enimverò prout hic ejusmodi casum praesupponimus, ubi de mente contractantium expressâ aut tacita ex argumentis supra *Sec. 1.* relatis & similibus non constat, ità omninò per hæcenus dicta de Jure verissimum est quod partes ad mensuram loci contractus ceu proximiorum respexisse credantur & ad eam praestandam teneantur. Ex quo simul (4) liquet, illorum sententiam qui ut supra vidimus, inter res mobiles & immobiles in hac quaestione distinguunt, idoneo fundamento destitui.

§. XI.

Nec aliud (5) dicendum etiam si traditio & admensio rei vendita in alium quam contractus locum conferatur, ut ut enim ejusmodi venditio ante admensionem pro imperfecta habeatur & demum illâ accedente perfici dicatur *l. 33. §. 5. & 7. de contrah. emt. l. 10. §. 1. ff. l. 2. C. de peric. & comm. rei vend. attamen id ipsum uticè fit intuitu periculi, quod ante admensionem vel appensionem regulariter fert venditor, non verò ratione obligationis aut penitentia, Vid. Lauterb. *Colleg. Theor. praet. tom. I. pag. 1146. & in Comp. pag. 302. & 352.* Et prout emtio venditio triplici respectu in LL. perfecta dicitur, scil. ratione conventio-*

nis

nis, vel obligationis vel implementi, ita quo rationes
 quas pro mensura loci contractus supra adduximus,
 locum inveniant, vel sola perfectio ratione conventionis
 sufficere poterit. Denique (6) haec dicta procedunt
 etiam si (ut Sandius in *Comment. ad d. l. 9.* loquitur)
 instrumentum super ipso contractu alibi con-
 sectum fuerit. *argum. l. 4. ff. de pign. & hypoth.* cum
 scriptura ceu monumentum contractus jam perfecti
 hic accedat & accedere in dubio praesumatur, Mevius
p. 8. Dec. 342. num. 4. Grotius *de J. B. & P. lib. 2. c.*
16. §. 30. hoc enim naturae contractus convenientius
 & ut plurimum fieri solet; unde, quod in transitu no-
 tamus, simul liquet Mithridatis Legatis ad foedera cum
 Romanis inita provocantibus, apud Appianum Alex.
de bellis Mithrid. n. 214. male & contra fidem datam
 respondisse Murenam: *se nulla foedera videre*, ut et
 nim nihil scripserat Sylla, sed pactorum executione
 contentus discesserat, nihilo tamen secius eandem fir-
 mitatem foedera obtinebant, quare praedicti Legati *d. l.*
statim subjungunt. Romanos differre foedus scribere,
ut renovare bellum per occasionem sibi integrum relin-
queretur. Sed ut ad rem redeamus, aliud omnino di-
 cendum ubi v. gr. venditio scripturam conficitur, seu
 consensus tantum scripto declaratur, cum enim hoc
 casu contractus non sit perfectus antequam scriptura
 omnibus numeris absoluta sit *l. 17. De fide instrum.*
 ejus solius loci, ubi instrumentum confectum, men-
 sura necessario inspicienda.

§. XI.

Visis sententia supra §. 4. proposita ampliatio-
 nibus, de limitationibus quas Dd. afferunt, nunc porro
 C dispicien- *Limitatur.*

dispendium. Ubi primo loco omnia illa huc repetita volumus, quae in priori Sectione de tacita contrahentium voluntate ejusque argumentis dicta fuere, quibus bene ponderatis id quod de mensurâ hactenus asseruimus nec durum nec inconueniens apparebit. Primam verò limitationem suggerit Dn. Coccejus *d. l. §. 10.* existimans, si omnes contrahentes ex eodem loco oriundi sint, tunc & illius loci mensuram, non loci contractus inspiciendam esse cum eorum omnium eadem sit ratio. *arg. cap. 18. l. de censibus.* Quod ipsum quidem ubi de mente contrahentium ex consuetudine & more (vel aliunde) argumentum accedit, expeditum erit; An vero hæc limitatio indistinctè procedat, merito subsistimus cum *d. cap. 18.* ut statim dicemus, de voto specialiter loquatur, & rationes ac leges supra pro mensura loci contractus allegatae, etiam tunc ubi contrahentes ex eadem civitate oriundi sunt, ut plurimum locum inueniant. Alteram limitationem Raudensis *d. l. part. 3. num. 30.* in eò ponit si affixa fuerint schedula venditionis in loco rei sitae faciendae, cum ita venditor declaret se de formâ mensuræ ejusdem loci cogitasse, quae tamen limitatio potius ad ea quae in *l. Sectione* diximus referenda, non minus ac tertia quae apud eundem Raudensem *d. l. num. 52.* legitur, si pro parte bonorum venditorum alia bona in eodem loco sita, ad certam & specificam mensuram emtor dederit, (qualis tunc contractus subsit explicat Struv. Exerc. 23. th. 16.) eò quod correlativorum eadem sit ratio, & hic merito dicendum sit, mensurâ quâ metieritis, remetietur vobis.

§. XII.

His ita absolutis nunc porrò vestigia retrò legen- ^{Haecenus di-}
 tes, quæ hæcenus de emtione potissimum dicta, ad a- ^{ta ad alia}
 lias conventiones tum & negotia quæ in unius dispositi- ^{negotia appli-}
 one consistunt, applicabimus. Quod in reliquis con- ^{cantur.}
 tractibus, etiam stricti juris idem in terminis habilibus
 obtineat *d.l. 34. de R. J. & l. 31. §. 20. de edilit. edicto*
 neminem dubitare sinunt; Nominatim de locatione
 conductione vid. *l. 19. C. locat.* Mevius *p. 2. Dec. 90.*
num. 1. p. 5. Dec. 136. num. 6. Afflictus Decis. 222.
 Et quanquam aliud obtinere velit Raudensis *d.l. num.*
52. si contractus (v. c. locatio conductione) in loco rei
 sita renovatus fuerit, assensum tamen non meretur,
 cum renovatio contractus ad eundem modum, quo
 contractus celebratus, facta præsumatur. *Conf. l. 13.*
§. fin. locati cond. Compend. Lauterb. pag. 370. Quan-
 quam verò ubi de restituenda vel lucranda dote agitur,
 hoc speciale sit, quod locus domicilii mariti attendatur
 & secundum ejus jura dos exigi debeat, per notabi-
 lem *l. 65. ff. de judiciis.* Id ipsam tamen ad quæsti-
 nem utra ex dispari regionum mensurâ deficiente par-
 tium conventionem præstanda sit, extendi non posse in
 conflictu defendemus, ut ut aliter sentire videatur San-
 de *in Comm. ad d.l. 9. Add. Brunnem. ad d.l. 65. num.*
2. & 6. Afflictus Decis 366.

§. XIII.

Quod verò ex altera parte negotia quæ ab unius
 dispositione dependent, & imprimis ultimas voluntates
 attinet, in illis hæcenus dicta in tantum procedunt, ut
 & hic ad morem & consuetudinem regionis sit recur-
 rendum, quoties neque ex verbis neque ex contextu

testamenti quam mensuram disponens intellexerit colligi potest, *l. 96. de R. J. l. 75. de legat. 3.* In eo tamen diversum obtinet quod hic non ad illam regionem in qua negotium gestum, sed ubi testator domicilium habuit versatusq; fuit attendatur: *arg. l. 50. §. fin. de legat. 1. l. 75. de legat. 3. l. 21. §. 1. qui testam. facere possunt.* Add. Dn. Hert. *d. l. §. 3.* Cum enim ejusmodi negotia à solius disponentis voluntate dependeant, si propria ipsius consuetudo non appareat non alia potius quam mensura loci in quo versatus fuit attendi potest, cum ejus linguae peritus eamque locutus fuisse non possit non praesumi. Idem de votis dicendum per *cap. 18. ibi mensuram cum qua emunt & vendunt. X. de censib.* cujus speciem prolixè exhibet Gonzalez in *Comment.* add. Dn. Coccejus *d. l. §. 10.*

§. XIV.

Restat ut ex praescripto sapius allegata *l. 34. d. R. J.* ad tertium & ultimum interpretationis gradum pergamus, quid si nec alia conjectura suppetat nec mos regionis appareat, puta quod mensura ibidem difformis, dicendum sit; Et hoc casu mensuram *ad id quod minimum redigendam esse d. l. 34.* decidit. Hinc est quod in dubio interpretatio contra venditorem facienda sit. *l. 39. de pactis l. 172. de R. J.* cum enim ille conditionem emtionis offerat, ac simul pretium rei suae statuat juxta Plautinum illud: *tua merx tua indicatio est*, habet quod sibi imputet, cur non apertius locutus sit, quod emtor in ampliori sensu dicta acceperit, id jure suo facere potuit in partem sibi utiliore, ut differit Grotius de *J. B. & P. l. 3. cap. 20. §. 26.* nisi de iis agatur quae non venditor sed emtor accessura emtionem eduxit.

*Quid si de mensura regi-
onis non certo
constat?*

xit, est enim tunc quod imputari emtori possit, qui mentione de accessoriis injecta ea non apertius designavit, quo pertinent *l. 34. de contrab. emt. l. 60. ibid.* Eadem ratione contra conductorem & promissorem regulariter interpretatio facienda *l. 38. §. 18. l. 106. de V. O. l. 29. locati.* Idemque in legatis & testamentariis dispositionibus aliis obtinet, *d. l. 9. l. 14. ff. de legat. 3.* si quidem aliunde v. c. ex qualitate legati aut legatarii mentestatoris dilucidari non possit; quomodo verò id ipsum cum *l. 12. l. 56. de R. J.* & aliis textibus conveniat, eruditè explicat Gothofredus in *Comment. ad. d. l.* Nec aliud de votis dicendum & in dispari regionis mensura minimæ præstatione votentem defungi posse *cap. 18. X. de votis* expresse testatur, in quo tamen Gonzalez singularem hanc rationem subesse, ne Ecclesiastici tanquam exactores implementi, nimium lucris temporalibus inhiare viderentur, & de jure stricto votentes ad majorem mensuram obligatos fuisse, existimat, eò quod favore piæ causæ generalis promissio latissimam interpretationem recipiat. Quæ omnia nunc latius prosequi tum & quid circa disparem mensuram quoad sententiam judicis, beneficia Principis, quæ ex pleno fluere volunt quibus hoc utilius, aliave negotia obtineat, disquirere nunc quidem non vacat.

SECTIO III.

De eo quod justum est circa diversitatem valoris.

Accedimus ad extremam & ultimam discursus hujus lineam eamque breviorē, ex instituta methodo

C 3

*Recomentur
casus nonnulli
huc pertinere
105.*

di lege de diversitate valoris, (qui pariter mensura vicem obtinet) nonnulla dicturi. Cum autem ea quæ valorem & pretia rerum in genere attinent, Illustr. Coccejus *in eruditâ dissertat. de vero rerum pretio* alique largâ manu executi sint, casus quosdam circa ejus diversitatem cum priorisectione maximam affinitatem habentes per satyram hic retulisse, nobis sufficiet. Et primo quidem loco cum pretio ejusque valori jam olim diversitas loci & temporis aliquam varietatem attulerit *l. 63. §. 2. ad l. Falcid.* & hodie eidem quam maximè afferat, quaritur si nummi v. gr. thaleri indistincte promissi sint, cujus loci valor sit præstandus? Ubi per supradictas rationes nobis omninò verissimum videtur, si nihil nominatim aut verisimiliter inter partes actum, valorem loci contractus attendendum esse. Vid. *rationes Sect. præced. allegatæ.* cum nulla diversitatis ratio appareat. Indeque Donellus *Lib. XV. cap. 1. ibique Hilliger* rectè infert, quod si in Germania vendatur res 10. florenis licet Belga emerit Germanicos solvendos esse etsi duplo pluris Belgicis valerent. Id quod *l. 20. X. de censibus* manifestè confirmat, ubi denarii alibi Lucenses, alibi Papienses in usu fuisse memorantur, & secundum locum contractus Papienses solvendos esse deciditur. *Add. l. 1. §. 37. ff. de usuris.*

§. II.

Ea verò gravissima & Dd. dissensu quam maximè intricata est quæstio an si v. gr. Francofurti contraxeris sed locus destinata solutionis sit Lipsia an valor monetae (vel etiam usura) ex loco contractus an ex loco solutionis sit affirmandus? Ubi quidem non pauci in hæc valoris diversitate locum destinata solutionis attendendum esse

esse propugnant. vid. inprimis Berlich *p. 1. Dec. 102. num. 1. & 2.* qui id ipsum in tantum extendit, ut etſi debitor fuerit moroſus & creditor eum in loco domicilii convenire neceſſum habeat nihilo ſecius in valore locum ſolutioni antea praſtitutum obſervandum eſſe exiſtimet. Add. Schulz *de oblat & depoſ. pec. c. 4. num. 20. Ubi praejudicia ſubjungit.* Enimvero quicquid ſit de praxi quorundam locorum, nobis de Jure Civili, contraria ſententia & quod locus contractus inſpiciendus ſit omnino verior videtur, cum textus *l. 34. de R. J.* aliique ſupra adducti ejusmodi reſtrictionem minime patiantur. Vid. Brunnem. *ad l. 21. ff. de O. A.* nec diſſentientes quidquam juvat *l. 3. ff. de eo quod certa loco:* ubi quidem Cajus expreſſe definit, quantum uſuras attinet, ad locum conventum reſpici deberi. Affere penitus inſpecta apparebit, eam tantum Icti ſententiam eſſe, debere judicem aſſimare quid creditoris interſit, dum oleum aut vinum tanti jam vendere, aut pecuniam aliis pro iisdem uſuris mutuò dare nequit, ac potuiſſet ſi debito loco praſtita fuiſſent. Idemque ad *l. 22. ff. de reb. cred.* dicendum, cujus deſiſio tunc deum procedit ſi quis rem promiſſam, in naturâ praſtare vel nolit vel non poſſit.

§. III.

His ita praemiſſis jam facile judicari poterit quid de notabili caſu ſentiendum ſit quem verbis Tiraquelli *du retract. lignag. gloſſ. 18. num. 37.* referemus. *Res vendita fuit 10. libris nec additum Pariſienſibus an Turonenſibus:* Conſanguineus retrahens vult dare Turonenſes quia minoris valent, venditor petit Pariſienſes cujus petitio juſtior? Reſp. Si non conſtet quid actum

actum fit, mos regionis inspiciendus, in quâ cum primo emtore contractum, quod retrahens, in locum prioris emtoris subintret.

§. IV.

Illud denique extra omnem controversiam positum est, quod si res circa quam enormiter læsum esse quis conqueritur, in præsens plus minusve valeat, quam valebat tempore contractus, inspiciendus fit valor rei qualis fuit tempore contractus celebrati. 8. *C. de rescind. vend. l. 3. ff. de jure. fisci.* Mevius p. 2. *Dec. 220.* An autem locus contractus an rei fixæ aut destinatae solutionis respiciendus sit non æque expeditum est; Nos hic locum contractus pariter inspiciendum esse ex supra dictis defendemus. Vid. *Dn. Hert. d. l. Exceptiones ex iis quæ præced. Sect. differuimus facile colligi & ad hanc S. referri poterunt vid. in primis Sect. 2. §. 1. 2. 3.* Caterum multa quidem adhuc de hac valoris diversitate excutienda superessent, si modo id aut instituti ratio, aut ingenii atatisve infirmitas permitteret. Sufficiet ut spero tenuis hiccæ conatus meus B.L. cujus iudicio & reliqua quæ desunt suppledda committo. Deo vero T.O.M. pro assistentiâ triennali meo Juris studio clementer præstitâ grates animus ago devotissimas, eique proporrò vias meas commendo.

COROL.

1. Le
2. Ill
3. In
4. Vi
5. M
6. Be
7. Ad
8. C
de c
spu
Præ
per
tent
quo
one
dan
enn
gre
lig
ne,
jan
stin
&
nu





COROLLARIA.

1. Leges Civitatum fundamentales sunt jura quibus summa potestas per conventionem modus ponitur; Quis eas non nisi ante summi imperii translationem constitui posse existimat, oppido falluntur.
2. Illarum divisionem in expressas & tacitas ut vulgò explicari solet, non agnosci-mus; Bene tamen illam quam habet Grotius lib. I. cap. 3 §. 16.
3. In determinanda origine Capitulationum propriè talium ultra Caroli V Imp. aetatem ascendi nequit
4. Vincens in possessorio si in petitorio succumbat fructus à tempore litis in petitorio contestata restituere tenetur.
5. Mutata bonitate monetæ tempus contractus regulariter inspicendum
6. Beneficium l. 4. C. de tempor. appell. cum regulis prudentiæ civilis parum convenit.
7. Actio Pauliana realibus minus rectè accensetur

Ad Nobilissimum Du Auctorem.

JOH. GEORGIUM WERNERUM,

Jurium Candidatum Benemeritissimum.

Cum saluberrimis inclytæ hujus Academiæ legibus
 cap. 4. de Facultat. jurid. §. 3. in hæc verba provi-
 de cautum sit: Studiosis cum primis veteranis ut di-
 sputationes juridicas ipsimet conscribant eademque à
 Præside & Decano Facultatis approbatas imprimi curent
 permittitor; hinc enim sæpe præclara aliàs in occulto la-
 tentia ingenia dijudicantur; præsens institutum tuum,
 quo, non annis sed eruditione veteranus, hanc Dissertati-
 onem proprio Marte conscriptam publicè ventilan-
 dam proponis, tantò facilius se mihi probavit. Vix tri-
 ennium elapsum ex quo meis auspiciis studium Juris in-
 gressus es, in eo congenitæ ingenii bonitati indefessam di-
 ligentiam semper jungens, tantos sub divina benedictio-
 ne, tamq; felices progressus fecisti, ut toto legitimo opere
 jam ferè perfectò, præmia virtuti & eruditioni Tuae de-
 stinata Te expectent. Præsens dissertatio non sine judicio
 & industria conscripta, tota Tua est, quanquam enim
 multa superaddi, nonnulla illustrari potuerint, nihil



tamen, præter unam alteramve lituram eidem addere
volui, quo specimen studiorum Tuorum dici mereretur.
Dum itaque tertiâ vice me Præside cathedram conscen-
dis, eò nomine impensè Tibi gratulor, & ut porro in-
defessus labor Tuus in Divini nominis gloriam cedat, in
patriæ emolumentum exsurgat, Tibi Tuisque commendo
& decori sit, animitus roveo. Scribebam Marb. 2. die
Martii 1712.

Dissertationis PRÆSES.



FAs & jura sinunt juris celebrare peritos
Quos inter clarus, nobilis Irnerius
Irnerius Latii celeberrima gloria quondam,
Cujus adhuc nomen docta per ora
volat:

Non est cur ejus cantemus carmine laudes,
Non hæc ista sibi carmina charta cupit.
Te, *Wernere* volo paucis, nec ipse recusa
Percipere, Irnerii nomen & omen habes.
Quilibet hoc uno mecum testabitur ore
Qui scit Te studiis invigilasse Tuis.
Hoc quoque testatur Tua Dissertatio docta,
Quam de *mensura disparitate* lego.
En miror studium, nec ero vanissimus augur:
Esto aliquando Tibi, *Wernerianus* honor.

Ita gratulans scripsit

G. H. VULTEIUS
Oppon.

Märburg, Diss., 1708-78




f

TA-70L

nur 6 verknüpft

VP18







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8
19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1

DISPU
D

DISP
NU

IN ILLU

VIRO NOBI

Dn. JOH

U. J. D. Pro

Præc
PUBLI

Ad d
IN JCTO

JOH. GEO

Marburgi Cattor

CA. 13

1712, 1
GIO.

EMIA

SIMO

MO

of. Pract.

KIENFR
UNIV
ZVILIA

RIO

ERUS.

OCKII.

